DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

SALIVA NON TEMERE EXSPVENDA

QVAM

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

IN ACADEMIA LIPSIENSI

CONSENSV

PRAESIDE

DN. IO. CASPARO KVCHLERO

PHILOS. ET MED. DOCT. ORD. MED. ASSESSORE

MINOR. PRINCIP. COLLEG. COLLEGIATO

PRO DOCTORIS GRADV

OBTINENDO

EXHIBET

AVCTOR

IOAN. CHRISTIANVS MENZIVS

LONGO-SALISSA-THVRINGVS

MEDICINAE BACCALAVREVS

DIE XIIX AVGVSTI CIƆIƆCCXLI

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

VIRIS
PRAENOBILISSIMIS AMPLISSIMIS
CONSVLTISSIMIS EXPERIENTISSIMIS
PRVDENTISSIMIS GRAVISSIMISQVE
REIPVBLICAE
LONGOSALISSENSIS
CONSVLIBVS
CAMERARIIS
CAETERISQVE
SENATORIBVS
SPECTATISSIMIS

DE
REPVBLICA LONGOSALISSENSI
OPTIME MERITIS
PATRONIS SVIS
AC
MAECENATIBVS
PIE DEVENERANDIS
HANC DISSERTATIONEM
CVM
PERPETVAE PROSPERITATIS VOTO
CONSECRAT

DEVOTISSIMVS
AVCTOR

VIRI PRAENOBILISSIMI PATRONI AETERNVM COLENDI

Tantus est nobis insitus patriae amoris stimulus, vt saepissime nesciamus, quae nos ducat eius repetendae dulcedo. Subsunt autem caussae sat graues,

quas ſingulatim enarrare ſuperſedeo. Potiſſima, me mouens, ea eſt, vt ſtudiorum meorum reddam VOBIS rationem, inſimulque cognoſcendi facultatem praebeam, num VESTRA, in me collata, beneficia, quo tendebant, obtinuerint finem. Atque ideo praeſertim meas qualescunque ſtudiorum primitias praemiſi, easque VOBIS, PA-

TRES

TRES OPTIMI, ſacras eſſe cupio, vt ſtatuere queatis, an ego VESTRA in poſterum beneuolentia dignus videar. Si votis meis VOS annueritis, VESTRVMque mihi patrocinium non renueritis, mihi patria tunc demum dulcis erit. Eſt enim aliquid, eos habere Patronos, quos Promotores noſtros fore, praeuidere licet. Ego interim

breui

breui pro VESTRO, mihi exhibito fauore, memet ipſum ſiſtam gratiſſimum, meumque VOBIS inſeruiendi ſtudium, quauis occaſione, omni modo declarabo. Quod reſtat, Summum NVMEN ſupplex precor, vt vitae VESTRAE terminos, in emolumentum noſtrae Reipublicae, iubeat eſſe latiſſimos! Lipſiae a. d. XV Kal. Septembr. ∞ Iↄcc XLI.

PRAE-

PRAEFATIO.

Dantur certi homines, qui, neſcio ex qua cauſſa, omnem Medicis gloriam detrahere, atque Arti noſtrae Salutari verbis ſat acerbis inſultare audent. Immo alii ex eorum turba ſunt, qui potius bubulcis, ſutoribus, aniculis, aliisque ſic dictis circumforaneis, quam veris Hygieae filiis vitam ſuam credere vix verentur. Et alii iterum ſunt, qui nonnunquam libros Medicorum euoluunt, ſibique met ipſis conſulere volunt; immo, ſi eiusmodi homines in ſummo vitae ſuae, ſuorumque periculo, et vbi imaginaria dexteritas, et immatura crudaque eorum ſcientia non ſufficit, ad Medicos confugere, eorumque auxilium ſibi expetere coguntur, tunc illi, tanquam morbi illius ipſi tamen ſatis gnari,

librum hunc vel illum euoluunt, certumque curae instituendae modum Medico adhuc praescribunt, cum tamen nec vllam corporis humani cognitionem habeant, nec vires partis vnius in alteram effectusque exinde dependentes, ac necessario consequentes, diiudicare possint: quid? quod nec naturam, caussas, historiasque morborum sciant, nec eorum, quae dicimus symptomata, signaque, probe a se inuicem dignoscere valeant. Atque hinc quoque simplicitati ignorantiaeque eorum id condonandum non est; praeprimis, dum functionum integritas a se inuicem arcte dependet, vt laesa vna statim et altera, immo totius corporis nostri oeconomia in motibus suis turbetur, ita, vt grauissimae saepenumero perpessiones et morbi diuturni exinde progignantur. Cumque thema aliquod ad Dissertationem inauguralem seligendum esset, substratam materiam, *de Saliua non temere exspuenda*, huc pertinere credidi; inprimis, cum inde pateat, quantum hominem nosse intersit, quantumque id, quod saepenumero a pluribus hominum nullius fere vsus aestimatur, ad sanitatem integram conseruandam, conferat. Deuotissimis igitur precibus, vt D.T.O.M. labori huic ex alto clementer assistere velit, sicque omnia in summi Numinis gloriam, atque salutis humanae commodum cedant, precor.

§. I.

§. I.

Recte GALENVS [a]) dixit: *in omnibus, de quibus quaeritur, oportet definire nomen.* Nam sine nominis notione ad essentiam rei, teste eodem, peruenire haud possumus. Atque hinc praemissa nominis ἀναλύσει, ipsius rei postea etiam plenior erit intellectio. Communis igitur denominatio nostri humoris est *Saliua;* Saliuam autem nominari, quod salis saporem [b]) habeat, et aemuletur, olim voluerunt, id quod tamen minime BECKMANNVS [c]) admittit. Quam ob rem optime denominationem hanc a Graeco illo verbo σαλεύειν, deriuari posse, puto. Σαλεύω enim denotat Latinum illud verbum *fluctuo, commoueo, salio*; atque exinde Saliuam sic dici posse opinor, quod succus hic saliualis, vel in perpetuo motu sit, vel motu oris et faucium magis magisque e ductibus et glandulis saliualibus eliciatur, atque ex fontibus riuulisque suis os influat. Influit autem non tantum, sed saepenumero quoque fortissima quasi vi ex emissariis suis, tanquam si ex siphone protrudatur, prosilit; quale egregium exemplum, Praeceptor olim meus, Celeberrimus TEICHMEIERVS, [d]) in se ipso nobis conspiciendum praebuit, id quod etiam PECHLINVS [e]) iam annotauit, proprioque suo exemplo confirmauit. Atque exinde etiam est, quod Physiologorum nonnulli, vocabulum illud immediate a verbo illo Latino, *salire, springen*, deriuarunt. Sed melius adhuc sen-

Denominatio Saliuae.

a) Lib. I. Meth. med. c. 5.
b) v. AMBROSII CALEPINI Dictionar. p. m. 1352.
c) conf. CHRISTIANI BECKMANNI Manuduct. ad Lat. Ling. p. 953.
d) Hic enim laudatus Vir, non sine iucundo spectaculo, ex ductibus Warthonianis Saliuam in longinquum et aliquot pedum interuallum ex ore eiaculari valebat.
e) in Obseruat. suis Physico-Medicis, Lib. II, Obs. XLVII, p. m. 324.

tire illi credunt, qui a *ſaliendo*, id eſt *condiendo* et *ſaporem impertiendo*, ſaliuam ita nominari, putant. Nam ſine Saliua nullum fere ſaporem alimenta praebent, id quod pluribus infra adhuc videbimus; et ZACVTVS LVSITANVS [f]) hac de re ita loquitur: *qui vim Saliuae nouit, poteſtatemque in ore, a ſaliendo, id eſt condiendo et ſaporem impertiendo, verius dicet; cuius enim rei ab ore percipitur ſapor? cuius cibi ſenſum habebit guſtans lingua? ſaliuae ope deſtituta.* Graecis Saliua audit σίαλον, σιαλὶς καὶ σίελος, a σέιω *moto*, quod tamen verbum eundem ſignificatum, ac σαλέυω, habet. Πτυελὸν dicitur a πτύω, *ſpuo*, atque hinc Latinis etiam *Sputum*, Germanis vero *Speichel*, apellatur. Sed Saliua ſaepenumero quoque in alio ſignificatu, quam pro liquore illo, qui in glandulis ſecernitur, et quidem *pro ſpiritu* [g]) ſumitur, e. g. *vna ſaliua*, id eſt *vno ſpiritu, in einem Athem:* ſine reſpiratione enim vix emitti poteſt Saliua; deinde quoque *pro ſapore* ponitur, id quod PERSIVS [h]) ſequentibus verbis teſtatur: *nec tenuem ſolers turdorum noſſe ſaliuam*: et PLINIVS [i]) dicit: *ſuo cuique vino ſaliua innocentiſſima*, i. e. ſapor. Et tandem Saliua adhuc pro *quouis humore et ſucco* ponitur; ſic enim apud PLINIVM [k]) legimus: *Purpurae i. e. conchae diebus quinquagenis viuunt ſaliua ſua.*

§. II.

Differentia inter Saliuam et Sputum.

Differentiam tamen inter Saliuam et Sputum ratione conſiſtentiae hodie conſtituunt. Per Saliuam enim illum tantum humorem, quem Graeci σίαλον appellant, intel-

f) Lib. II, Prax. Hiſtor. Dub. XI, p. m. 202.
g) conf. BASILII FABRI Theſaur. Erudit. Scholaſt. p. m. 2005.
h) PERSIVS Satyra VI.
i) PLIN. Lib. XXIII, c. 1.
k) PLIN. Lib. IX, c. 36.

intelligunt [l]), siue qui αὐτομάτως per ductus saliuales in os influit; quod autem per πτυελὸν vel πτύσμα denotant, id crassioris ac viscidioris consistentiae esse, et cum exscreatione reiici, Sputumque vocari dicunt. Quam quidem differentiam admittere quoque debemus, modo non adeo stricte semper sumatur. Accidit enim saepissime, vt vna cum Saliua etiam sputum illud sic dictum permixtum sit et reiiciatur; atque si tunc quis naturalem Saliuam sputum etiam dicere vellet, illum ideo minime errare, putarem.

§. III.

Explicato nunc nomine, et antequam definitionem aggredi possum, primum organa se-et excretoria, originemque Saliuae, vtpote quae naturam nostri humoris exactius postea explanant, inuestigare, consultum erit. Multum autem Veteres de origine illius succi, fontibus eius, quos tamen antiquitas ignorabat, inter se disceptarunt. Alii [m]) enim sub forma halituum fluidum illud e ventriculo ad caput assurgere, atque ibidem in humidum resolutum, saliualem succum constituere, putabant. Alii per occultas vias a cerebro; aliique a neruis, aut succo quodam nerueo, saliuam prodire credebant; immo quidam a sanguine arterioso, arteriis scilicet osculis suis in os hiantibus, humorem hunc deducebant; nec etiam defuere, qui [n]) ex latice, quem glandulas allicere, dicebant, saliuam elaborari, crediderunt. Verum erroneas hasce sententias ob saeculi infelicitatem, antiquitati condonare, nobis autem merito gratulari debemus, vt hodie nos rectius edocti, loco occul-

Veterum de origine fontibusque Saliuae opinio.

 tarum

l) vid. NVCKIVS in Sialograph. Cap. II, p. 48.
m) vid DES CARTES Tract. de Homine §. 11.
n) HELMONTIVS in Tract. Latex humor neglectus.

tarum viarum, potius ſatis manifeſtas omnibus ad oculos demonſtrare, queamus.

§. IV.

Recentiorum organa Se- et Excretoria, veraeque viae Saliuae.

Verae autem Saliuae viae tam diu in occulto latuere, vſque dum Clariſſimus WARTHONVS[o]) ductuum ſalinalium oſtia primus aperire incepit. Proueniunt autem ductus illi, ab inuentore *Warthoniani*, ſiue *ſaliuales inferiores* dicti, ex duabus ſatis notabilibus glandulis conglomeratis, vtrinque vna, et Maxillaribus dictis, atque in interiori latere anguli inferioris maxillae, ſitis; quarum quaelibet ſingularem ductum, ſub lingua ſupra glandulas ſublinguales decurrentem, emittit, qui, poſtquam ad radicem frenuli peruenit, tunc plerumque ſimplici, interdum duplici, vel etiam quandoque triplici oſtio [p]), lympham ſuam in oris interiora defert.

§. V.

Poſt ductus illos Warthonianos, alium in lucem protraxit ductum, accuratiſſimus ille Anatomicus, NIC. STENONIS [q]). Parotides autem dicuntur inſignes illae glandulae ſaliuales, quae circa radicem auriculae inter proceſſum mammillarem, condyloiden et os iugale ſitae, indeque late ad anteriora, inferiora et poſteriora extenſae[r]) haerent, ex quibus notabilis ille ductus, vtrinque vnus progreditur, qui a STENONE, *Stenonianus*, ſiue ductus *ſaliualis ſuperior* appellatur, et qui a principio ſuo transuerſim ſuper muſculum Maſſeterem per medium

o) conf. TH. WARTHONI Adenograph. Cap. XXI, p. 116; FRANC. GLISSONIVS in Anat. Hepat. Cap. XLV, p. m. 406.

p) HEISTERVS in Compend. Anatom. p. m. 145.

q) vid. NIC. STENON. Obſeruat. de Gland. 1660; VERHEYEN. Anat. Corp. human. Tr. IV, Cap. XIII, Tab. XXII, fig. 2, lit. c.

r) BOERHAVE in Inſtitut. Medic. §. 65, p. m. 26.

medium genae tranfit, ibidemque circa fecundum vel tertium dentem molarem, mufculum Buccinatorem membranamque oris perforat, [s]) atque apertura fua fatis manifefta, faliuam ibidem, fatis larga quantitate in os deponit.

§. VI.

Nunc vero ductus quoque illi, qui ex glandulis fublingualibus proueniunt, examinandi erunt. Glandulae vero illae, pariter conglomeratae atque immediate fub lingua pofitae, faliuam in iis fecernandam, non per ductus WARTHONIANOS [t]), vt olim crediderunt, nec etiam per ductus RIVINIANOS [u]), nec BARTHOLINIANOS [w]) effundunt, quorum alter in vitulis, alter vero in leone, peculiares ductus inuenerunt, id quod tamen in homine aliter fe habet. Nam glandulae hae paruis ductulis non antrorfum, fed in transuerfum, et recta verfus gingiuas tendentibus, in os hiant, faliuamque ibi fuam per ductus, quos Illuftris WALTHERVS, Praeceptor meus ad cineres vsque venerandus, primus in homine probe delineauit, prolixiusque defcripfit, [x]) eructant atque emittunt; id quod MORGAGNE [y]), HEISTERVS [z]), TREW [a]), aliique poft Celeberrimum WALTHERVM animaduerterunt.

§. VII.

s) HEISTER. in Compend. Anat. p. m. 145.
t) HEISTERVS in Compend. Anat. l. c.
u) RIVINVS in Differt. de Dyfpepfia, An. 1679 habita; et WELSCH Tab. Anat. XXX.
w) conf. eiusd. Tract. de Ductu faliuali nouo.
x) in Exercitatione fua de Lingua humana, Lipfiae, An. 1724, c. fig.
y) Aduerfar. Anatom. VI, p. 130.
z) Compend. Anat. p. m. 145 in fine; it. Not. 55*) p. m. 107; et Tab. VII, fig. 33.
a) Epiftol. ad D. D. HALLERVM de Vafis Linguae falinalibus et fanguiferis, Tab. IV, p. 12.

§. VII.

Caeterum ductus hi iamiam descripti, sunt quidem notabiliores illi, ex quibus magna illa saliuae copia perpetuo fere, certo tamen tempore, vel maiori vel minori copia, promanat. Non tamen sufficiunt illi, ad singulas oris fauciumque plagas perpetuo irriguas seruandas; sed ex aliis adhuc glandulis, hinc inde in ore dispersis, et non ita magnis, aliisque adhuc minoribus, numeroque infinitis, nimirum lingualibus, labialibus, buccalibus, palatinis, tonsillaribus ac vuularibus dictis, non quidem lympha vnius generis, sed alia aliam tenuitate superans b), salit, ita, vt non tantum tota oris fauciumque cauitas omni tempore madida seruari, mollique visco seu muco obliniri, sed et solutio in ore praeparatorum dentibus, siue manducatorum ciborum inchoari, atque ope illius succi salinalis iuuari perficique possit.

§. VIII.

Saliuae in glandulis secretio vnde et quomodo?

Dixi nunc equidem, Saliuam ex iamiam descriptis glandulis prodire, quo vero modo, quaque vi, in illis separetur atque secernatur, nunc etiam, erit explicandum. Quod vero Veteres vel per fermentum, vel potentiam siue qualitatem innatam, vel Archeum sibi voluerunt, id in praesenti, tanquam omnibus satis cognitum, ob instituti rationem, intactum relinquo. Plura tamen ad lymphae huius salinalis secretionem adhuc requiri, id omnes iam optime sciunt, immo ex communi omnium humorum fonte id fieri, nemo sane erit, qui illud hodie nesciat; eandem quoque, quae reliquarum secretionum, caussam huc adesse debere, motumque sanguinis, cum

b) v. GODOF. DE BERGER in Physiolog. s. de Natura humana Lib. I. Cap. XVI, p. m. 234.

cum inteſtinum interiorum particularum, tum progreſſiuum totius maſſae ſanguineae per corpus vniuerſum, plurimum huc contribuere, vnusquisque optime videt; immo diuiſionem, ſegregationem, preſſionem atque expreſſionem humorum, hoc modo, ac hisce motibus optime fieri et peragi poſſe, inter omnes iam conſtat. Quapropter vna parte totius maſſae ſanguineae per Aortae ramos, aſcendentes caput verſus, propulſa, atque per ramificationes Arteriarum Carotidum externarum diuiſa, tunc in propaginibus earum arteriarum, per partes oris tam externas, quam internas diſpergitur, atque ad glandulas ſaliuales propellitur; quae glandulae quas modo nominauimus, peculiari fabrica ſua, et inſito motu tonico, humorem noſtrum ſaliualem ex arterioſo ſanguine elaborant, ſeparant atque ſecernunt, particulis ſcilicet homogeneis, et ad Saliuam aptis, in ductus ſaliuales ſegregatis et transmiſſis, heterogeneis ac reliquis vero ad venas remiſſis.

§. IX.

Saliuae indoles et chymica eius examinatio.

Ordo autem tractationis poſtulat, vt ipſam Saliuae naturam exquiſitius nunc quoque explicem, eiusque analyſin aggrediar. Prius tamen phaenomena quaedam, quibus curioſiores, Saliuae indolem atque eſſentiam accuratius rimari, permoti ſunt, in medium proferam. Omnes quidem viderunt, Saliuam ſanam noſtram, humorem fere aqueum eſſe, qui nec odore, nec ſapore tantorum effectuum rationem indicaret; nihilominus a poſteriori mirificas Saliuae vires, tantosque, toto die ſeſe exſerentes effectus, notarunt et admirati ſunt. Viderunt nimirum Mercurium viuum, ſi cum ſaliua commiſceatur et teratur, plane immuta-

ri ac figi, nec non alia metalla ab ea etiam arrodi. Saliuam quoque alimentis in ore iamiam fine omni difficultate fe commifcere; gummofa ac refinofa ex parte extrahere et refoluere; immo affectus cutis externos, vti et vulnera et vlcera, fola faliua curari poffe, diligentiores Saliuae fcrutatores optime perfpexere et annotarunt. Fermenti etiam loco ad multas res fermentandas Saliuam inferuire, inprimis Pharmacopolae cum damno faepiffime experiuntur, fi nempe dulcium rerum cupidos eiusmodi difcipulos habent, qui, fyrupos, aliasque fructuum fucculentorum condituras, furtim ex vafis liguriunt ac lambunt, ficque Saliuam hisce rebus permifcent: quae omnia tunc, licet optime cocta et praeparata, tamen fermentare incipiunt; vt igitur illi fic bene fibi cauere debeant, ne lambendo tantillum etiam Saliuae eiusmodi rebus admifceatur, alias enim fermentationem facillime contrahunt et plane acefcunt. Hinc, vt certiores effent, quaenam facultas faliuae ineffet, et ex quibus particulis ille fuccus conftaret, quae tantos eiusmodi effectus praeftare poffent, eam ob rem curiofiores Saliuam examini chymico fubiecerunt, atque fic deprehenderunt, maximam huius liquoris partem ex particulis aqueis, fpiritibus fatis copiofis impraegnatis [c]) conftare, reliquis vero particulis ex fale falfo volatili, in mollibus vifcidisque olei ac gelatinae partibus conclufo [d]), combinatis. Quid igitur mirum, fi Mercurio currenti per additionem tritumque cum Saliua compedes iniiciantur? et nonne oleofae ac vifcidae particulae Sali-

c) BOERHAVE in Inftitut. Med. §. 66. p. m. 27.

d) GODOFR. DE BERGER de Natura humana, Lib. I, Cap. XVI, p. m. 235.

Saliuae admixtae, luculenter fatis exinde apparent? immo quid amplius, Saliuam fal in fe continere, dubitemus? particulae enim fplendefcentes ac corufcantes, quae, exfpuitione in chartam bibulam facta et inftituta, eaque iterum exficcata, fupra chartam remanent, nihil aliud nos docent, quam falinas huic lymphae particulas ineffe. Spirituum autem animalium in Saliua praefentiam, vnusquisque ex fequentibus luculenter fatis videbit, fi modo confiderare velit, faliuam a fanguine arteriofo fecerni, et neruos quam plurimos, arterias in glandulas faliuales abeuntes, comitari; et nonne verum eft, a maiori faliuae fluxu, et frequentiori eius exfpuitione, nos mire defatigari? id quod certe fpirituum animalium penuriam digito quafi commonftrat. Quoniam autem neceffe erat, vt Saliua diuerfis vfibus inferuiret, hac de re quoque non ex vnius, fed varii generis particulis conftare debuit, vt eo rectius cum tam multis et efculentis et potulentis iungi et mifceri poffit, immo etiam affimilatio noftrorum humorum in ore iam incipiat, ne alias, fi commixtio plane crudorum humorum poftea cum fanguine fieret, ob heterogeneas illas, noftris humoribus admixtas, particulas, nos in perpetuo vitae noftrae periculo verfaremur.

§. X.

Fontibus itaque et elementis Saliuae accuratius perfpectis ac praelibatis, nunc commode quoque et rectius fequentem in modum, Saliuam naturaliter confideratam, definiri poffe, omnino arbitror. *Saliua nimirum eft liquor pellucidus, dilutus, et agitatus* *Saliua quid?*

valde spumescens, saporis odorisque fere expers; particulis plurimis aqueis ac spirituosis, paucis salinis, oleosis et gelatinosis inter se coniunctis, constans; in diuersis glandulis a puro arterioso sanguine secretus [e]*, atque, per certos ductus in oris cauitatem effusus; masticationi, deglutitioni, resolutioni, intimiori commixtioni ac digestioni ciborum, pro vniuersali quasi menstruo* [f]*), inseruiens.*

§. XI.

Vsus Saliuae, et quidem

Praemissis autem sic praemittendis, nunc inprimis habeo, qua de re instituti ratio loqui iubet. Sunt nempe vsus illi Saliuae, in iam modo data definitione adducti, qui intentionis pleniorem intellectum dabunt; sed hoc quoque peracto, tunc nemo de asserti mei veritate, Saliuam non temere esse exspuendam, amplius dubitare poterit. Vt autem ordine grogrediar, primum *vsus Naturales*, in quantum iam innotuere, perstringam, Non enim frustra vel fortuito hic succus semper, inprimis vero inter manducandum in os influit, sed sapientissime id ita, a summo omnium rerum Opifice, ordinatum fuit, ne aridae inter loquendum, praesertim vero, dum sicci oribus cibis vescimur, fiant fauces, sed perpetuo irriguae seruentur. Quam ob rem etiam laudari meretur in primis vsus, quem ad perpetuam inter loquendum motionem, nec non ad masticationem et deglutitionem lympha salivalis praestat. Nam, sine huius liquoris affusione, cibi, inprimis sicciores, non solum difficillime,

Vsus eiusdem ad loquelam, masticationem et ciborum deglutitionem.

e) BOERH. l. c. §. 66. p. m. 27.

f) NVCKIVS in Sialograph. Cap. II. p. m. 56.

lime, immo interdum plane non deglutiri, nec quoque rite comminui possent. Ex neglecta autem masticatione, et sufficienti Saliuae irrigatione cohibita, non tantum ventriculus ab eiusmodi assumtis postea grauatur, sed et sensim sensimque, loco speratae nutritionis et augmentationis, Cacochymia, quae portam ad variam morborum segetem aperit, exinde progignitur; cuiusmodi exempla in hominibus voracibus quotidie obseruamus, qui, quoniam paululum tantum cibos in ore comminuunt, nec cum Saliua rite permiscent ac subigunt, sed more ciconiarum omne totum et in frustis deglutiunt, non solum ad summam saepenumero maciem rediguntur, sed et quamplurimis aliis, iisque grauissimis morbis laborant, quia eiusmodi leuiter tantum comminuta, nec cum saliua satis subacta esculenta, postea non rite digeruntur, nec etiam in laudabilem chylum, sed pituitosam viscidamque materiam conuertuntur. Quam ob rem quoque Arabes iam recte dixere: *Vitam suam odisse, qui masticationem negligit.* Nam secundum notissimum Medicorum prouerbium, vitium, in prima coctione commissum, neque in secunda, multo minus tertia, corrigitur; vnde varia tunc corpori nascuntur incommoda: talis enim postea elaboratur sanguis, qualis chylus, et talis chylus, qualis Saliua.

§. XII.

Vsus Saliuae ad saporem.

Dum autem Saliua hoc ipso masticationem ac deglutitionem iuuat, insimul etiam partium salinarum sapidarumque in cibis latentium solutioni, et hinc saporibus dignoscendis, inseruit, gustumque, vti supra iam indicauimus, ex cibis elicit. Omnem enim sapo-

ſaporem a ſale prouenire, id experimenta chymica, vti et culinaria, ſatis demonſtrant; ſalia autem, non niſi ſoluta, agere poſſe, id inter omnes conſtat. Quapropter mediante ſaliua, particulas ſapidas quascunque e cibis extrahi atque exſolui poſſe, quotidiana docet experientia. Illi enim, qui febribus ardentibus, vel aliis eiusmodi affectibus, cum oris et faucium ſiccitate coniunctis, correpti, neque maſticare cibos aſſumtos, neque ſapores recte diiudicare valent, licet enim tum ſapidiſſimum cibum ac potum aegri aſſumant, tamen iidem, ſe nulla delectatione ab illis affici, conqueruntur; adde etiam, quod ſolida quaeuis quamdiu integra, vix ac ne vix quidem linguam afficiant, exemplo granorum piperis et aliorum, quae tamen maſticata, contrita ac ſoluta, maxime ſunt ſapida. Ideoque certum eſt, particulas ſapidas, nonniſi diminutas et ſaliua ſolutas, in papillarum neruearum e lingua exſurgentium extremitates deferri, a ſenſorio communi percipi, et cuius ſaporis ſint, diiudicari poſſe. Atque id etiam VOSSIVS [g]), vbi de Saliuae in guſtando vſu loquitur, ſequentibus confirmat, dicens: *Medium guſtus, eſt humor linguam madefaciens; hic enim ex obiecto elicit ſaporem, eumque inſtar vehiculi deuehit in fungoſam linguae carnem ac neruos eius, ſpiritum guſtatorium continentes. Hinc eſt, quod lingua arida non guſtet res ſiccas* etc. Immo COVS [h]) noſter iam non ignorauit, Saliuam ad ſaporem plurimum conferre, quapropter etiam verba eius ſequentia

g) GERH. IOAN. VOSSIVS in Theologia Gentili ſ. de Origine et Progr. Idololat. Lib. III, Cap. 29, p. 866.

h) HIPPOCR. Lib. IV de Morbis §. 12.

tia huc iure meritoque trahi possunt, ita dicentis: *At vero si fontes* (nempe saliuales) *illi non essent, dum edimus ac bibimus; vere non cognosceremus, neque quid suave, neque quid insuaue in cibo aut potu esset.* Quamuis autem vsus Saliuae ad saporem proferendum sic satis superque cognitus sit, nonnunquam tamen accidit, vt hominibus, olfactu deperdito laborantibus, non raro gustus quoque sensus plane aboleatur, nec vllus, licet lympha illa saliualis in debita copia adsit, ex cibis sapidissimis sapor percipiatur: vt ita, humorem hunc saliualem medium illud saporis solitarium haud constituere posse, vnusquisque hinc facile sibi persuadere queat. Etsi etiam, vti supra iam innui, morbi ariditatem oris fauciumque ob humorum nimiam spissitudinem inferentes, vel aliter etiam excretionem et affluxum saliuae impedientes, praedicta quidem satis superque probent atque illustrent, minime tamen, hi omnes affectus, ad vltimum hoc phaenomenon, vtpote, vbi defectum huius lymphae accusare non possumus, explicandum valent; sed caussam in ipsa neruorum, sensibus illis destinatorum, laesione, quaerendam esse arbitror. Cum enim genus neruosum admodum sensibile sit, nec violentos stimulos sustinere valeat, praeterea quoque distributio neruorum olfactui et gustui attributorum, ita se habeat, vt eorum rami ab vno trunco et pari neruorum perueniant, atque sic magnam communicationem inter se habeant; hinc mirandum non est, si ex compressione neruorum olfactoriorum, aut eorum obstructione, gustus quoque nerui in consensum rapiantur, et stupidi quasi ac paralytici interdum reddantur, atque

ſic quoque guſtus vna cum olfactu corrumpatur vel plane aboleatur.

§. XIII.

Saliuae vſus in reſolutione et intimiori commixtione ciborum.

Quemadmodum autem Saliua non parum ad maſticationem, deglutitionem et ſaporem confert, ita quoque non minimum ad reſolutionem ciborum contribuit, multumque etiam ad miſcelam oleoſi cum aquoſis, et excitationem motus inteſtini facit, vt ſic iure meritoque pro menſtruo vniuerſali microcoſmico, vt NVCKIVS [i]) vult, haberi poſſit; quod quaeuis aſſumta penetrando, emolliendo ac immutando ad digeſtionem praeprimis adaptat, quo ſiue deprauato, ſiue ablato, mox deficit appetitus, vitiatur maſticatio et deglutitio, immo labefactatur tota oeconomia animalis, vt in febrılibus et variis affectibus quotidie fere notamus. Atque hinc quoque maximum detrimentum illi ſibi contrahunt, qui ſtatim poſt paſtum, Tabaco ſub forma fumi, vtuntur, et laudabiles, neſcio, quas virtutes, in primis tunc temporis ei attribuunt, immo ſingulari etiam nomine, et quidem *Concoctions-Pfeiffen*, appellant. Sed iterum iterumque moneo, caueant illi ſibi, ne ſtatim poſt aſſumtionem ciborum in vſu et exhibitione talium educentium adeo liberales ſint, neque eorum vſui nimium indulgeant; quoniam cum muco inſimul euacuatur Saliua laudabilis, quo vero facto, digeſtio multum laeditur, nonnunquam etiam vomitus poſt deglutitionem ſaliuae acrioris factae ſuperuenit, et chylificatio maxime

xime

i) NVCKIVS in Sialograph. l. c.

xime ſic turbatur ac laeditur, immo totum ſaepe corpus, ſenſim tamen ſenſimque exſiccatur ac emaciatur, id quod etiam exempla eorum, qui nimio vſui fumi tabaci indulgent, quotidie nos docent; hi enim praeterea, ex Cacochymia atque diſpoſitione Cachectica, tunc habent, de quo vsque ad vitae finem conqueri poſſunt. Hoc omne celeberrimus BOERHAVE [k]) ſequentibus verbis luculenter confirmat: *Saliuae excretio nimia turbat coctionem primam, hinc et ſequentes; profert ſitim, bilem atram, tabem,* ἀτροφίαν. *Si autem non excernitur in os, aut longe parcius ſolito, tum impedit manducationem, ſaporem, deglutitionem, augetque ſimul ſitim.* Et quamuis quotidie quidem haec ita contingere, poenasque proprias eiusmodi homines luere videamus, attamen e contrario alios quoque fumigatores, eosque hac arte ſua ſtrenuiſſimos ſatis mirari haud poſſumus; namque illi, lecto modo ſurrecti, diem fumigando incipiunt finiuntque, immo, tantam Saliuae copiam per vnius diei ſpatium reiiciunt et exſpuunt, vt, eos hac de re cito citius ſanitatem ſuam, neceſſario deſtruere debere, vnusquisque ſibi perſuaderet; cum tamen ex aduerſo eos, ſine omni ſanitatis ſuae detrimento, deliciis his ſuis vti, experientia ipſa teſtetur. Hi autem corporibus ſucculentis gaudent, humores quoque magis aquoſos praeparant, vnde nimiam humorum copiam, alias moleſtam iis futuram, e corpore eliminant, atque potius emolumentum, quam noxam hac in re experiuntur: hinc autem non omnes, id ita ſibi fieri poſſe credant.

k) BOERHAVE in Inſtitut. Medic. §. 772, p. m. 347.

§. XIV.

Vſus Medici. Vſibus autem naturalibus ſic euolutis atque praemiſſis, nunc etiam ad *vſus Medicos* me conuerto. Ipſe autem Saluator mundi hos vſus digito quaſi nobis monſtraſſe videtur, caeco nempe, mediante et adhibita ſaluberrima ſaliua ſua, curato. Manent itaque praeprimis ieiunorum ſaliuae ſuae laudes in plurimis oculorum affectibus, in Ophthalmia, viſus lippitudine, tumoribus atque vlcuſculis. Atque inde etiam TACITVS [l]) refert; Imperatorem Veſpaſianum ab homine caeco rogatum eſſe, vt genas et oculorum orbes dignaretur reſpergere oris excremento, quo etiam facto, tum hominem ſtatim ſanatum eſſe, et viſum recuperaſſe. Nec aliter ſe res habet cum nonnullis aliis affectibus cutaneis, in quibus Saliuae contactus fieri poteſt. Sic enim Serpigines et Scabiem abigi Saliua poſſe, id etiam in vulgo notum eſt: et idem quoque libri et obſeruationes Medicorum [m]) paſſim teſtantur. PLAVTVS quoque [n]), inſpuitionem Saliuae olim ad Rabiem, vel potius Epilepſiam [o]) ſanandam, celebrem et in vſu fuiſſe, nos docet. Et Celeberrimum Medicum, THOMAM FIENVM [p]) perhibent nunquam exſpuiſſe, non, quod Saliua ei deeſſet, ſed

l) TACITVS Lib. IV Hiſtoriar. Tom. II, p. m. 532.

m) CHRIST. IOAN. LANGIVS in Operibus Medic. Part. III, Diſp. XXXVI, §. 34; conf. quoque Miſcell. Nat. Cur. Dec. II. An. VI, Obſeruat. CCXIII, pag. 428.

n) vid. M. ACCI PLAVTI Comoed. in Capteiu. Act. III, Sc. IV, v. 15–24.

o) WEDEL. in Exercitat. Medico-Philologicis, Obſeru. 213.

p) vid. FRID. SCHRADERI Diſſert. de Regularum ſanitatis prudenti applicatione §. LI.

ſed quia data opera illam glutiebat, et in ventriculum deriuabat, expertus inde perpetuam, qua erat, alui facilitatem. Porro vulnera ac vlcera ſola Saliua ſanari poſſunt, id quod et in brutis animantibus ipſis, in primis vero in canibus ſaepius videre licet; animalia enim, vt quibusuis vulneribus ſibi inflictis, hoc modo mederi queant, ipſa omnia docens natura docuit. Quae tamen medendi ratio longe felicius in hominibus ſuccedit, affectibus nempe eiusmodi ab externis aeris iniuriis inſimul defenſis. Sic enim exemplum, praeſertim vulneris, oculo cuſpide cultelli inflicti, ſola tamen ſaliua felici euentu iterum curati, in Miſcell. N. C. q) legimus. Nec ratio horum effectuum deeſt; ex ſupra enim data analyſi chymica patet, quanta Saliuae noſtrae ob particulas ſalinas vis inſit, mucoſas, purulentas, viſcidasque impuritates extergendi et abſtergendi; ob oleoſas autem ac balſamicas, quanta ex his quoque, partes acriores temperandi easque inuoluendi, poteſtas reſultet. Et cum ita omnes praelaudati vſus atque vtilitates, ex lympha illa in corpus noſtrum redundantes, certo certius tempore hoc noſtro innoteſcant, hinc nemo amplius dicet, Saliuam in ſe et naturaliter conſideratam, excrementum, vt Veteres olim putarunt, eſſe inutile, ſed humorem, ad nutritionem et bonam corporis conſtitutionem conſeruandam, maxime neceſſarium ac

q) vid. Miſcell. Nat. Cur. Dec. II. An. III, Obſeruat. XCII, pag. 195; et Dec. II. An. VI, Obſ. LXII p. 150, vbi adhuc plura, de vi Saliuae alexipharmaca, in hominibus a viperis ac venenatis animalibus demorſis, aliisque eius et virtutibus, et noxis videri et legi poſſunt.

ac laudabilem, et propterea non temere, nec omni tempore promiscue exspuendum.

§. XV.

Quamuis autem praecipuos, ac vere vtiles laudabilesque Saliuae vsus sic satis equidem explicatos esse, arbitrer, haec quoque scopo atque intentioni tantum inseruiant; attamen, cum a Veteribus haec lympha ad diuersas adhuc alias res, plane tamen superstitiosas, nec hodie imitandas, adhibita fuerit, omnia silentio praeterire nolo, sed vnum alterumue ex iis adducam. Ita enim apud PLINIVM,[r]) hominis ieiunam saliuam contra serpentes praesidio esse, legimus, idque sequentibus verbis testatur: *Serpentes istae Saliuam humani oris ieiuni, veluti aquae feruentis contactum, fugiunt, quod, si in fauces penetrauerit, etiam moriuntur.* Saliuam fascinationem quoque auertere posse, olim crediderunt; quapropter etiam THOMAS BARTHOLINVS[s]), veteres armillas ad fugandam et auertendam fascinationem illeuisse ac perunxisse, scribit, ita dicens: *aurum vero inducebant, sputumque illinebant, non vt arbitrantur docti nonnulli ob gluten, sed ob fascinum:* et alio loco[t]) de fascino infantili inquit; *et medius digitus quoque infamis, quo Saliua frontem et labella signabant;* id quod PLINIVS[u]) quoque affirmat, ita enim ille:

r) PLIN. Lib. VII, c. 2.
s) TH. BARTHOLIN. de Armillis Vet. §. 3. p. m. 33.
t) id. de Puerperio Veter. p. m. 160.
u) PLIN. Lib. XXIIX, c. 4.

ille: *inter amuleta est, in calceamentum dextrum pedis, antequam induatur, exspuere.* Quasi vero sputum eo ritu, qui praescribitur, obseruato, propulsandis, si quae ingruant, infortuniis, sit efficax. Sed Gentes ac Veteres tantum, qui per se iam ad superstitionem procliues erant, tantos eiusmodi ac superstitiosos effectus Saliuae assignarunt; nos autem vsibus viribusque supra laudatis, vtpote sanitati nostrae saluberrimis, potius contenti sumus. Illud tamen, quod Clariss. HOFFMANNVS [w]) et SCHVRIGIVS [x]) de Saliua huc afferunt, addere quoque placet, lympham nempe salivalem philtri munus obire naturalis ac praestantissimi, et ex communicatione saliuae duarum personarum, Sympathiam, siue consensum, oriri. Et certum est, quod Saliua magnas in alterandis mutandisque humoribus, atque exinde dependentibus actionibus, vti et ex supra dictis patet, vires obtineat; sed, si Saliua bene ac naturaliter est constituta, tunc illum humorem nec Symphatiam excitare, nec alium, praeter iam dictos vsus naturales, exinde prouenire posse, credo, et potius amorem amore conciliari, arbitror. Si vero haec lympha scorbutica, aliisque malis deprauata est qualitatibus, tunc idem malum cum subsequentibus aliis symptomatibus, vt in Hydrophobia et Lue venerea videmus, procreare omnino valet. Hinc LANGIVS [y]) accidisse refert: quod nutrix Lue Venerea affecta, Saliua sua Serpigines infantis perunxisset, quae tamen plane cum ipsius infantis interitu exesae fuissent.

D 3 §. XVI.

w) in Dissertat. de Saliua et eius morbis, p. 11.
x) SCHVRIGIVS in Sialograph. c. 4. §. 29.
y) CHRIST. IO. LANGIVS in Oper. Med. Part. II, p. 44. in not. g)

§. XVI.

Atque ſic de Vſibus Saliuae, eiusque praeſtantia atque neceſſitate ad corporis ſimilitudinem inducendam, vt et de aliis viribus, minime tamen ab efficacia illius humoris alias efficaciſſimi, expectandis, conſtat. Reſtat vero, vt et de ſtatu huius lymphae morboſo, cuius in praecedenti modo paragrapho mentionem feci, pauca adhuc dicam. Accidit itaque non raro, vt lympha illa ſaliualis, alias ſaluberrima, plane immutetur, et morboſa quaſi reddatur, aut etiam alicuius morbi materia peccans a vi vitae ſuperſtite ita ſubigatur et coquatur, vt ea poſtmodum per has vias, vna cum Saliua e corpore excernatur, morbique ſic ſoluantur, et Critica haec ſit euacuatio; id quod capitis dolores, otalgia, odontalgia, immo febres ardentes, ſalutari eiusmodi ſaliuatione curatae, ſatis nos docent; aut etiam omni ſtudio, vt in Lue Venerea, deteſtabili illo malo, videmus, expelli debeat. Atque tunc Saliuam non deglutiendam, eiusque ſecretionem atque exſpuitionem non ſupprimendam, ſed potius omni modo eſſe iuuandam, per ſe patet. Vt hinc quoque Medici Practici bene ſibi cauere debeant, ne in adductis affectibus, et pluribus aliis, e.g. in Variolis confluentibus, ptyaliſmum excitatum, cohibeant, atque ſic euacuationem ſalutarem per medicamenta contraria ſupprimant ac ſiſtant; facillime enim malum, et quidem priori peius, recrudeſcit, adeo, vt ſaepiſſime etiam aeger plane ſuccumbat.

Critica et ſalutaris Saliuae excretio.

§. XVII.

§. XVII.

Haec autem ſunt, quae in praeſenti de Saliua non temere exſpuenda in medium proferre, et examini publico ſubiicere volui. Profiteor equidem, multa adhuc ſupereſſe, quae de Lympha ſaliuali noſtra, eiusque indole, tam naturaliter, quam praeternaturaliter conſtituta, dici, et hic cumulari potuiſſent; ſed temporis in praeſenti ratio habenda eſt, dumque propoſito meo me ſatisfeciſſe, puto, nunc vela huius Diſſertationis contraho, Teque, B. L. precor, velis leuem hunc laborem benigno accipere animo. Quodſi autem expectationi Tuae omnia non reſpondeant, ac ſi ſubinde errauero, ignoſce, et cogita quaeſo, me hominem, id eſt erroribus obnoxium eſſe. Quod ſupereſt, Summo rerum omnium Moderatori, pro conceſſis viribus laudem et gratias, quas poſſum maximas, decerno, inſimul bonitatem ipſius humillime implorans, velit et in poſterum conatibus meis ex alto annuere clementiſſime, vt omnia in Nominis ſui gloriam fructumque noſtrum ſuccedant.